



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IV. Parva.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Miscellanea de parvis.

Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius. Eccl. 11. 3. *Brevis. Græcè parva.* Initium Græcè *principatus dulcoris.* Rabanus: sicut apis aculeo pungit, & opera mellis conficit: sic & in brevi corpuseulo sæpe ingeniosa inhabitat anima; quæ & acumine viget, & in doctrina sua novit proferre suavitatem sapientia. Cornelius hic.

Staturâ pusillus erat. Luc. 19. 3. Hic si staturâ pusillus, animo magnus erat, cum affectavit videre Jesum: argumentum nactus ex arte, atque studio, quod sibi natura negaverat. Sim. Cas. l. 9. c. 48.

In vita S. Gregorij Turon. Ep. ad diem 17. Nov. legimus: eum visitantem limina Apostolorum à S. Gregorio M. tum Pontifice Romano, introductum in Basilicam S. Petri, ac Pontificem secretam Dei dispensationem admiratum fuisse; quod in hominem adeo parvum tanta coelitus gratia profluxisset. Quod cum ille divinitus persensisset, placido vultu, Pontificem respiciens: Dominus, inquit, *fecit nos, & non ipsi nos.* Pl. 99. 3. idem in par-

vis, qui & in magnis. Cumque id suæ cogitationi S. Pontifex responderi cognosceret, magis eum venerari cœpit; eumque aureâ cathedrâ donavit. Idem nuper noster Bellarminus, & ipse parvus, sed bene auricus; cui-dam id merenti respondit. Cornelius in Eccl. 11. 3. S. Gregorius Naz. Nicobulum epistolâ quâdam redarguit, quod Alipianam filiam S. Gorgoniae sororis suæ, ipsius verò conjugem, ob parvitatem, & curvitatē, despiceret: Alipianam, inquit, apud nos cavillis incessis, ut parvam, ac tuâ proceritate indignam. Omagne, & vaste, ac gigantine, tum formâ, tum robore! Nunc demum intellexi, animum mensurâ subjici, & virtutem expendi; ac rupes margaritis præstantiores esse, corvosque luscinijs angustiores. Certè animus in mensuram minimè cadit: atque externum hominem oculos in internum conjectos habere oportet. Cornelius ib.

Cum ex Nicolao Constantio quidam sciscitaretur; cur parvi sæpe homines cæteris essent animosiores? respondit: quia parvum habent corpusculum, quod tueantur; cui se putant defendendo sufficere. Masenius l. 2. Argut.

TITULUS IV. PARVA.

Mirabilis in ijs Deus.

IMitare, si potes, apes ædifica, formicæ stabula, araneæ retia, bombycis stamina: sustine, si potes, illas ipsas lectuli tui, & tegetis, bestias, cantharidis venena, muscæ spicula; culicis & tubam, & lanceam. Tertull. l. 1. advers. Marcionem. c. 14.

Plus fornicularum, & apicularum, opere stupemus; quam immensâ corpora balenarum. S. August. de Civ. l. 22. c. 24.

Attendat charitas vestra: quis disposuit membra pulicis, & culicis? ut habeant ordinem suum, habeant vicam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem, minutissimam considera, quâ volueris. Pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos. Quis dedit aculeum culici, quod sanguinem sugat? quàm tenuis fistula est, quâ sorbet! quis disposuit ista? quis fecit ista? Expavescis in minimis, lauda magnum. S. August. in Pl. 149.

Ego sic miror Dominum in elephantis, quomodo & in formica; sic illum prædico in camelo, quomodo & in culice. Vide culicem, quomodo quasi punctum cujusdam corpusculi est: & tamen vide in ipso puncto corpusculi omnia esse membra divisa. Habet sex pedes, habet duos oculos, habet os, habet & ventrem, habet & tubam vocis, habet & alas. S. Hieron. in Pl. 91.

Non tantum vastitudinem elephantis stupeo, quantum murem, qui formidolosus elephantem

Polyanthea Sacra. Tom. II.

to est; ut aculeum subtilissimum scorpionis, S. Basilii hexam. l. 9.

Plurima, parvitate malis exigua, granditate virtutis sunt maxima. Sic cæteris virtuosiores sunt lapides minores; & rerum ingentium res parvæ sunt seminales. Quid in membris pupillâ minus? qua tamen nihil charius: & navis salus aliquando ab exiguo clavo dependet potius, quàm ab ingenti malo. Quid plura? aranea parva virum necat; & pulex infestissimus hunc tormentat. S. Cyrill. Jerof. in Apol. mor. l. 1. c. 18.

Miscellanea.

Cum Alfonso Hisp. Rex Vicarium oppidum obsideret; obsessi in hostes plurima alvearium alvearia, quæ paulo antè ex agris metu hostium intrâ castellum congesserant in muros, arrepta in hostes devolverunt: quorum fragore irritatæ apes, os, & oculos oppugnantium infestabant, hoc modò oppidum diu tutati. Jovianus Pontanus de gestis regis Alfonsi. apud Stengelium t. 2. Jud. div. c. 15.

In Africana expeditione, Barriga Lusitanorum Duce Xiatimenses oppugnante; reque ad ultimum discrimen deductâ, innumerabilia alvearia apum, quibus abundabant, incensa, & è moenibus præcipitata. Itaque Lusitani, & alvearium flammis ambusti, & aculeis apum stimulati, receptui canere, & obsidionem solvere, coacti sunt. Osorius l. 8. de reb. Afric. & Indicis, apud Stengel ib.

N n 2

Cum

Cum Amurates Turcarum Rex Albam Græcam oppugnaret, oppidani, teste Bonfinio l. 4. dec. 3. apum examina in Turcas emittabant, ut aculeis petiti gravibus ungerentur. Henrici Imp. Dux obsessus à Giselberto Lotharingia rege irrumpentes equites objectis apum alvearibus inhibuit; quarum aculeis in furorem versi equi sessorum vel excusere, vel ad pugnam inutiles reddidere, ut ait Vitichin-

us l. 1. gest. Sax. apud Cornelium in Sap. 12.

Novimus mercatores ditissimos; qui famulos magnis clamoribus objurgabant, quod ellychnium densius facerent ad majus lumen, querentes illud plus olei fugere, & consumere. Rogantes causam, responderunt: se minima ista curando, & cavendo, ad tantas opes devenisse. Cornelius in Eccle. 5. 6.

TITULUS V. PASSIO CHRISTI.

§. I.

Figura, Prophetia.

Ex Veteri.

Perfecti sunt caeli, & terra. Gen. 2. 1. Terra fuit Christus in Passione: terra infimum locum tenet; & plus non potuit descendere: nec Christus magis potuit humiliari; quam ut pateretur pro nobis. Item: terra non movetur; & ipse non est motus, quando dixerunt ei: *si Filius Dei es, descende &c.* Caelum fuit in Resurrectione, & Ascensione. Hugo Card. hic.

Requievit die septimo ab universo opere. Gen. 2. 2. Tunc Deus requievit in Sabbatho ab operibus suis, quando Deus, & homo, Christus, & secundum animam in secreto Divinitatis, & secundum corpus in sepulchro terræ, requievit. Nam sicut Evangelia fideliter narrat historia, primò dierum, id est, Dominico, in civitatem Jerusalem passurus introivit: secundò, & tertio, mitis Agnus inter laestas crudelissimos juges insidias pertulit: quartò à Discipulo suo traditus est: quinto testamentum scribens filijs, hæreditatem corporis, & sanguinis sui, deligavit. Sextò moriendo suum omne tempus acri cum labore consummavit: Septimò in sepulchro requievit. S. Rupertus l. in Volum. 4. Evang. c. 30.

Fac tibi arcam. Gen. 6. 14. Arca Christi Humanitas; quæ omnes fluctus persecutionum sustinuit. Hugo C. hic.

Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac. Gen. 22. 2. Abraham, quando unicum filium suum perduxit ad immolandum, habebat personam Dei Patris. Quis in Isaac, nisi Christus? nam sicut Abraham unicum filium, & dilectum, Deo victimam obtulit; ita Deus Unigenitum Filium suum pro nobis omnibus tradidit. S. Isidorus in Gen. c. 18. *Vidit* (Abraham) *& gavisus est*, diem scilicet Passionis Filij Dei, in suo filio figuratum; quòd unico filio suo non pepercit; quòd velut ad aram Crucis triduo cum insonti victima convolvit; quòd patiens, ac sine voce, similis agno, coram tendente se, filius Patri, ut percuteret, pia colla præbuit. S. Prosper Aquit. de promiss. & prædict. Dei p. 1. c. 17.

Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.

Gen. 27. 27. Cur non dicit sicut odor hortorum? Item, cur sponfus de se Cant. 2. 1. *ego flos campi.* Cur non horti? Hortensis flos deliciosè feritur, indulgentem habet hortulanum, irrigat, tegit, claudit. Agri flos non colitur, non fovetur; injurijs cœli; hominum, pecorum, expositus. Sylveira in Marci 8. 9. 13.

Dormivit in eodem loco. Gen. 28. 11. Somnus Jacob, Passio Christi est. V. Beda hic.

In flamma ignis de medio rubi. Dominus apparuit Moyse, dum Christus in igne Passionis coram Synagogâ in cruce pependit. S. Honorius s. de Invent. S. Cruc. Quid Deus in carne, nisi ignis in rubo? an non rubus spinosa caro, quam assumpsit, plena doloribus, plena punitionibus, plena pœnalitatibus? S. Thom. Vill. s. 2. in die Nat. D.

Expoliavit se Jonathas tunica &c. 1. Reg. 18. 4. Tunica Jonathæ conversatio Christi; quam dat Christus amicis suis. Vel, tunica Jonathæ Christi Humanitas, quæ expoliavit se die Passionis pro nobis. Hugo Card. in Gen. c. 30.

Ego sum vermis, & non homo. Pf. 21. 7. Christus hodie, sicut in Passione potest dicere: *ego sum vermis &c.* id est, ita vilipensus, & conculcatus à peccatoribus, sicut vermis: quia nec vermi audent facere, quod mihi faciunt, & in me, & in membris meis. Hugo Card. hic.

Miser factus sum, & curvatus sum usque ad sinem. Pf. 37. 7. Afflictus est, non solum in cruce; sed etiam antequam crucifigeretur; multa ferens, ut agricola, ut nostrum agrum purgaret. *Incurvatus sum* autem *usque in sinem*; quando mortem pro nobis sustinuit. S. Chrylost. hic.

Qua posuit prodigia &c. Pf. 45. 9. Potest dici prodigium à prodigo. Et hoc modò fecit Deus prodigia super terram: quia quasi prodigus fuit Dominus, cum pro redimendis inimicis suis proprium Filium dedit. Et ideo de Christo dicitur. Pf. 67. 28. *ibi Benjamin in mentis excessu*, ibi in cruce, in mentis excessu, in prodigalitate Patris. Hugo Card. hic.

Qui ascendit super occasum. Pf. 67. 5. Super occasum Dominus ascendit: quia unde in Passione occubuit, inde majorem suam gloriam resurgendo manifestavit. V. Beda l. 1. in 1. Marci.